



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

10 Vtrum materialis causa substantialis in corporibus incorruptibilibus
inueniatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

quam diximus quartam opinionem ex parte esse dubiam, nimirum, quia si forma vnitur materie per proprium modum vnionis: ergo etiam materia vnitur forme per proprium modum vnionis: ergo materia non tantum causat per vnionem, vel inhesionem forme, sed multo magis per propriam vnionem, quia ipsa coniungitur forme: atque ita causalitas materie erit potius proprius modus ipsius materie, quam forme. Ad hanc difficultatem fateor, rem esse dubiam, an in compositione materie & forme habeat materia proprium vnionis modum, distinctum ab vnione forme. Dico tamen duo. Vnum est, esse valde probabilem partem negantem, quia ad vnionem duorum extremorum, quæ inter se immediatè vniantur, sufficit vnus simplex modus vnionis, & assignari potest specialis ratio, ob quam talis modus magis ad formam pertineat, & cum illa realiter idem sit, quam cum materia: ergo non oportet plures modos huiusmodi multiplicare. Maior probatur, quia omnis modus vnionis est vinculum duorum extremorum, vnde ad vtrumque dicitur habitudinem, sine qua esse non potest: ergo quilibet modus vnionis vnus duo extrema, quorum est vnio: ergo vnus sufficit ad huiusmodi extrema coniungenda. Et ideo supra dicebamus, vnionem forme ad materiam non posse esse, aut intelligi in rerum natura sine coniunctione, & dependentia, non solum à forma, sed etiam à materia: & ideo, si per intellectum prædicandum omnem alium modum identitatum materie, per solum vnionem forme ad materiam, intelligimus materiam & formam esse perfectè vnitas inter se, & materiam exercere in formam totam causalitatem quam habet: ergo non est necessarius duplex modus vnionis, sed vnus sufficit. Minor autem, scilicet, hunc modum potius pertinere ad formam, quam ad materiam, probatur, quia tota efficientia agentis naturalis terminatur formaliter & proximè ad formam, educendo illam, vel vniendo materiam: Ergo quidquid de nouo facit, est in forma tanquam in formali termino actionis, in materia autem solum vt in subiecto, & ideo non vnit materiam forme, directè efficiendo in materia specialem modum, sed solum vniendo formam ipsi materie, & efficiendo in ea in formationem & vnionem, vel inhesionem. Estque hoc consentaneum modo se habendi & concurrendi materie & forme: nam materia substat actioni agentis, & aduerti ac recessui formarum. Vnde, quantum ad suam entitatem, omnemque suum intrinsecum modum inuariata manet, solumque variatur, vel mutatur ratione priuationis, aut forme recedentis, aut denuo aduenientis. Quod his verbis dixisse videtur Damascenus in sua Physica, cap. 3. vbi de materia ait: *vt quæ subiecti rationem obtineat, & quantum ad id, quod potentia est, attinet, substantia præditam esse, & cum priuatione esse, ac forma actus presente, manere, atque illud suum, hoc est, potentia, ab omni mutatione liberum conseruare, hincque fieri: vt nec ab hoc, quod potentia est, in actum migret, verum in suo statu manens formam suscipiat, ac, forma recedente, rursus priorem statum retineat.* At vero forma est, quæ aduenit materie, & ab illa recedit: & ideo omnis mutatio, quæ fit in materia, est ratione forme, & similiter omnis vnio est per cõiunctionem forme ad illam. Quod præterea materiali exemplo declarari potest: nã basis, quæ supponitur columnæ, in se non variatur, nec mutat locum, aut aliquem alium modum, ex hoc, quod columna ei superponatur, vel auferatur, aut varietur, sed tota mutatio fit in columna, quæ superponitur, à qua prouenit omnis denominatio in basim, quæ dicitur sustentare columnam. Et similiter in accidentalibus mutationibus, quando lignum, v. g. calefit, non fit duplex mutatio in ligno. Vna in adhesionem caloris, altera in vnione ligni ad calorem, sed vna tantum, quæ consistit in introductione caloris.

Addo secundo, quamuis gratis admitteremus ef-

fe in materia proprium modum vnionis, distinctum ab vnione forme, nihilominus non posse illi tribui, quod sit causalitas, per quã materia causat formam, quia nec materia per talem modum sustentat formam, neque forma per illum modum pendet à materia. Prior pars constat, quia materia non per modum, sed per suam entitatem sustentat formam. Posterior probatur, quia forma per suam inhesionem pendet à materia, vnde, si in materia est talis modus vnionis, potius erit, vt effectus consequens ex informatione, & quantum est ex se, eiusdem rationis erit, siue forma pendeat à materia, siue non. De qua vnione materie iterum occurret sermo, tractando de causa formali.

Ex his vltèrius concluditur, causalitatem materie circa compositum, nihil omnino addere ipsi materie præter vnionem forme, atque ita non esse aliam causalitatem compositi, nisi ipsammet causalitatem forme, vel vnionis, solumque addere respectu compositi, quod materia, media vnione, se ipsam exhibet ad componendum intrinsecè compositum: vnde ipsa entitas materie magis intimè ingreditur causalitatem compositi, quam forma vel vnionis, in re tamen nihil aliud interuenit, nisi entitas materie, & vnio seu causalitas forme.

Vltimò intelligitur ex dictis, quod supra etiam insinuatum est, duas tantum esse causalitates materie ex natura rei distinctas, licet ratione possint plures distingui. Causalitas enim materialis respectu rei in fieri, vel in facto esse, ex natura rei distincta sunt, licet generatio ex natura rei distinguitur à forma, seu à re genita, & vnio in fieri ab vnione vt facta: ostendimus autem, causalitatem rei in fieri non distingui in re ab ipsa generatione, vel vnitione, causalitatem vero rei in facto esse similiter non distingui ab vnione vt facta, & formaliter terminante vnitionem: ergo necesse est huiusmodi causalitates inter se esse distinctas ex natura rei. Dices, posse has duas causalitates ad vnam reuocari, quia res in facto esse non causatur, nisi mediante actione: ergo causalitas tota consistit in actione, & generatione ipsa, prout est à materia, reliqua enim omnia potius sunt quid causatum, quam causalitates, sicut respectu agentis tota causalitas consistit in actione vel vnitione, & vnio in facto esse non est causalitas agentis, sed quid causatum. Respondetur, non esse parem rationem, quia causa materialis per se est causa rei in facto esse, etiam si cesset omnis actio, ita vt si per impossibile compositum materiale non penderet ab aliquo agente in fieri, vel in conseruari, nihilominus haberet materia suam causalitatem circa tale compositum, vel circa formam eius: est igitur in materia propria quedam causalitas, quæ non versatur circa actionem vel mutationem, neque per illam fit, sed immediatè est circa ipsum esse totius compositi, quatenus includit vnionem materie cum forma: & ex sectione sequenti constabit, interdum esse materiam causam rei, & non productionis rei: sunt ergo hæ causalitates ex natura rei distinctæ. Vnaquæque verò earum potest comparari, & præcisè concipi in ordine ad res diuersas, & secundum varias habitudines explicari, in ordine ad formam, vel compositum: tota tamen illa distinctio est per rationem, seu per conceptus nostros inadæquatos, vt ex superioribus constat.

SECTION X.

Vtrum materialis causa substantialis in corporibus incorruptibilibus inueniatur.



Actenus solum explicuimus materialem causam in substantijs generabilibus & corruptibilibus, in quibus notior est ob continuam transmutationem: nunc videndū superest, an sit etiam hoc

XV. Maior est qua causalitate compositi sunt constitutæ.

XVI. Duplex distinctio cam- salitate materie, sicutur materiam.

Obiectio satisfacta.

hoc genus cause in corporibus incorruptibilibus. In qua re multe continentur quaestiones. Prima, utrum in cœlis (hos enim nomine corporum incorruptibilium intelligimus) sit materia. Secunda, qualis sit, & quo cum materia generabilium cōueniat, aut differat. Tertia, quomodo materialē causalitatem cum illis corporibus exerceat: & quāvis duæ primæ quaestiones Physicæ sint, & in libris de Cœlo tractari soleant, tamen ad explicandam tertiam, quæ propria est huius loci, aliæ necessariò præmittendæ sunt.

Prima Commentatoris opinio.

II. Circa propositam ergo quaestionem fuit opinio Commentatoris negantis, esse in cœlo compositionem materiæ & formæ. Ita habet 8. Met. comm. 12. & libro 12. comm. 20. & 1. de Cœlo, comm. 20. & libro de substant. orbis, cap. 1. & 2. Eumque sequuntur omnes sectatores eius, landun. de substant. orb. quaestione prima, Zimara, theorem. 107. Caietan. de Thienis, 1. Physic. quaestio. 21. & ex Scholasticis Durand. & Gabr. & alij in 2. distinctio. 12. ubi etiam D. Thom. in eandem sententiam inclinavit quaest. 1. artic. 1. & in quaest. disputat. de spiritualibus creatur. artic. 6. ad 2. & 8. Metaphys. cap. 14. Fundatur præcipuè hæc sententia in varijs Aristotelis testimonijs, propter quæ Scotus in 2. distinctio. 14. quaestione prima, facit esse sententiam Aristotelis, licet eam non approbet. Primum est 8. Metaphysic. textu 14. ubi ait: Neque omnium materia est, sed quorumcumque generatio & transmutatio inuicem sunt: quacunque vero, absque eo quod transmutentur, sunt, aut non, horum materia non est: & text. 4. eiusdem libri ait: Non est necesse, si quid materiam habet localem, etiam habere materiam generabilem, & corruptibilem, id est, quæ sit fundamentum generationis & corruptionis, quæ apud ipsum idem esse videtur, quod materia componens substantiam, ut statim ostendam. Et eodem sensu subdere videtur text. 12. substantias perpetuas aut non habere materiam, aut non talem, sed solum quæ secundum locum mobilis est, & libro 9. text. 17. ait, in rebus perceptis non esse potentiam ad esse simpliciter, sed tantum ad ubi: Alioquin (inquit) etiam esset potentia ad non esse. nam omnis potentia est potentia contradictionis. Deum 12. Metaph. text. 10. eandem sententiam repetens, ait: Quacunque mutantur, materiam habent, sed diuersam, nam & ipsorum sempiternorum quacunque non sunt generabilia, sed latrone mobilia, aut tamen non generabilem, sed unde quod.

III. Ratio huius sententiæ est, quia Philosophi non perueniunt in cognitionem materiæ, nisi per viam transmutationis, sumpta proportionē à transmutatione artificiali, vel accidentali ad substantialem: ergo in his substantijs, ubi nullum est vestigium transmutationis substantialis, non est necessaria materia: nec potest esse vllum fundamentum ad eam asserendam. Secundo declaratur amplius hæc ratio: quia natura nihil facit frustra, sed in cœlis non est ad vllum finem necessaria hæc compositio ex materia: in his enim rebus inferioribus, quia futuræ erant continuæ generationes & corruptiones ob earum contrarietatem, necessaria erat materia, quæ esset primum subiectum & fundamentum earum: at vero cum cœli instituerentur, ut essent perpetui, sicut conditi sunt sine contrarietate, ita etiam sine illa compositione, quæ est propria earum rerum, quæ sicut componuntur, ita dissolui possunt: aprior enim est simplex entitas ad perpetuitatem, quam composita. Tertio, quia si aliquod esset signum materiæ in cœlo, maxime, quia quantitatem habet, at hoc non est sufficiens signum, quia non repugnat fieri integram substantiam physicè simplicem & capacem quantitatis: ergo quantitas non est sufficiens signum materialis compositionis. Nam si illa substantia est possibilis, faciat illam Deus: ergo tunc extensio quantitatis non

esset sufficiens indicium materialis compositionis in tali substantia: ergo neque nunc est in cœlo. Cur enim non dicemus talem esse substantiam cœli? Etenim, si huiusmodi substantia quanta possibilis est, melior est & perfectior, si sit simplex, quam si composita, cæteris paribus. Rursus ad decorem & perfectionem vniuersi pertinebit talis substantia, sunt enim in vniuerso quædam substantiæ simplices non quantæ, & aliæ substantiæ compositæ & corporeæ: ergo ut in vniuerso sit omnium rerum vel graduum varietas, optime quadrat, ut sit aliqua substantia simplex quoad compositionem physicam & essentialē, quanta vero & composita ex partibus integrantes: ergo huiusmodi sunt illa corpora æterna, quæ ex hac parte propinquius videntur accedere ad modum existendi substantiarum simplicium.

Quod vero non repugnet id, quod in hac ratione assumitur, scilicet, dari substantiam non compositam ex actu & potentia physicis & substantialibus, & capacem quanti tatis, probatur: quia nulla repugnantia inuoluitur in his terminis, vel conditionibus, neque fieri potest vlla ratio, ob quam tale ens non comprehendatur sub latitudine entis creabilis. Dices, omnem substantiam esse aut formam, aut materiam, aut compositum: substantia ergo, quæ neque est composita, neque capax materiæ, erit forma subsistens: ergo intellectualis: ergo incorporea: ergo repugnat esse substantiam simplicem & corpoream: unde perinde est dicere substantiam immaterialem & corpoream, ac dicere substantiam immaterialem & materialem. Et confirmatur (ac ferè in idem redit) nam omnis substantia vel est potentia, vel actus, vel composita ex potentia & actu: sed illa substantia non esset potentia substantialis ac receptiua, alioqui esset materia: neque etiam esset composita ex actu & potentia: ergo esset actus subsistens, sed huiusmodi actus non est capax quantitatis, alioqui ocluditur via ad probandum Angelicas substantias non esse capaces quantitatis. Sed hæc rationes non satis videntur ostendere repugnantiam, nam prior diuisio substantiæ in materiam, formam, & compositum, non est ad æquata substantiæ in communi, nam Aristoteles cum eam diuisionē tradidit in 2. de Anima, in princip. & 7. Metaph. text. 7. plane loquitur de forma informante: sic autem Angelica substantia nec est forma, nec materia, nec compositum: diuiditur ergo ibi substantia inferior, seu aliquo modo generationi & corruptioni obnoxia. Alioqui, ut diuisio sit ad æquata omni substantiæ, loco illius membri, scilicet, substantiæ compositæ, ponenda esset completa, omnis enim substantia aut est completa, aut incompleta per modum potentiæ, ut materia: aut per modum actus, ut forma. Substantia verò completa rursus diuidenda est in compositam ex materia & forma, & simplicem secundum negationem talis compositionis: hæc vero vterius potest subdividi in incorpoream, quæ est ita simplex, ut compositionem etiam partium integratū excludat: & corpoream, quæ habeat compositionem ex his partibus sine compositione ex principijs essentialibus materiæ & formæ: nulla enim asseritur ratio, ob quam repugnet, eandem substantiam completam habere vnam compositionem sine alia.

Quapropter repugnantia illa, quod talis substantia esset materialis & immaterialis, solum in vocibus consistere videtur. Unde distingui potest illa vox materialis: proprie enim significat rem compositam ex materia, quæ sit pura potentia & forma: & in hoc sensu illa substantia simplex non esset materialis, sed potius immaterialis, sumpta hac priuatiua voce in contraria & proportionata significatione: licet autem non conuerterentur immateriale & incorporeum, iuxta prædictam sententiam. Quia vero partes integrantes ad materialem causam reducuntur ab Aristotele, ideo latius potest sumi illa vox, & omnis substantia, quæ partes

partes habet integrantes, appellari potest, & materialis, & composita aliquo modo ex materia. Et hoc sensu illa substantia, de qua agimus, non diceretur immaterialis, sed materialis: nam immateriale sumptum in proportionata significatione reciprocè dicitur cum incorporeo. Nec sunt inusitatae hae significationes, nam forma ligni dicitur materialis, quamvis materia non constet, quia est extensa: forma vero hominis contraria ratione immaterialis est. Altera vero diuisio actus & potentiae etiam patitur æquiuocationem, nam, si nomine actus subsistentis intelligatur substantia integra, quæ non indiget alio actu substantiali & intrinseco, ut actu fit, sic cœdemus illam substantiam simplicem, de qua agimus, fore actum subsistentem: negamus tamen, huiusmodi actum subsistentem non posse esse capacem quantitat: neque propterea occluditur via ad probandum substantias Angelicas esse incapaces quantitatis, id enim non est probandum ex communi ratione actus subsistentis in ea significatione, sed aliunde, scilicet, quia sunt actus perfectiores & indiuisibiles & intelligentes. Vnde, si nomine actus subsistentis intelligatur substantia ita perfecta, ut omnino recedat à conditionibus materiae, & à compositione ex partibus integrantes, sic negamus diuisionem illam esse adæquatam, aut illam substantiam simplicem & corpoream esse actum subsistentem. Atque hæc est tota probabilitas huius sententiae, iuxta quam negandum est propriam causam materialem & substantialem, de qua agimus, reperiri in celestibus vel incorruptibilibus corporibus, sed solum reductiue, quatenus partes integrantes, ut dixi, ad materialem causam reducuntur. Negari enim non potest, quia substantia corporea necessariò habeat hanc compositionem, contrarium enim claram repugnantiam inuoluit.

Secunda D. Thomae sententia.

VL Secunda sententia principalis est, omnia corpora, etiam incorruptibilia, componi ex vera & propria materia, quæ sit substantialis potentia physica ad formam. Hæc est opinio D. Thomae, & discipulorum eius: par. quaest. 66. artic. 2. & 1. de Cœlo, lect. 6. & 8. Phys. lect. 20. Capreol. in 2. dist. 12. q. 1. Soncin. 12. Metaph. q. 7. lauel. lib. 3. q. 12. Soto Phys. q. 1. Tenet etiam Scotus loco cit. & Aegid. in 2. dist. 2. & 11. part. Hexamer. c. 4. & sequentibus Ocham in 2. q. 22. D. Bonauent. in 2. dist. 12. art. 2. q. 1. Tenet etiam Auicenna lib. 1. Suffic. c. 6. Paulus Venet. in summa de Cœlo, c. 2. ubi refert Themistium, Theophrastum, & alios. Et pro hac etiam parte afferuntur varia Aristotelis testimonia, ita ut, quæ fuerit eius in hac parte sententia, satis obscurum esse videatur. Nam 1. de Cœlo, cap. 9. tex. 93. 94. & 95. expressè dicit, cœlum ex materia constare, & inde probat, non posse esse aliud cœlum, quia ex vniuersa materia constat. Præterea 12. Metaphys. tex. 22. ait, omnium sensibilibus corporum eadè esse principia, materiam, scilicet, & formam, & 2. de generatione c. 9. tex. 51. ait, duo principia materiam, scilicet, & formam, etiam rebus æternis, primasque tenentibus: in his verò inferioribus addit tertium, nempe priuationem ad generationem constituendam. Denique 8. Metaph. tex. 10. ait, omnem substantiam sensibilem materia constare. Ratione fundatur hæc sententia, duobus principiis superiori oppositis. Vnum est, ad incorruptibilitatem cœlorum seu corporum non esse necessariam carentiam materiae: quod principium declarabitur fusius in puncto sequente. Nunc breuiter probatur, quia quamuis res constet materia & forma, potest vnio earum esse indissolubilis, quod satis est ad incorruptibilitatem. Alterum principium est, quantitatem molis, quam habent omnia corpora etiam incorruptibilia, esse necessariò coniunctam cum materia, ita ut sit proprietas tam propria materiae, seu rei compositae ex materia, ut sit certum in-

dicium illius. Quod his verbis scripsit Plotinus Aeneade 2. libr. 4. cap. 6. Quidquid habet molem, habet materiam.

Collatio superiorum opinionum.

VII. EX his sententijs neutra potest euidenter probari, quia nullus est effectus, qui euidenter nobis ostendat esse, vel non esse materiam in huiusmodi corporibus, quod satis declaratum est, referendo ipsas sententias. Nam prior ex incorruptibilitate infert carentiam materiae, quam illationem posterior sententia euidenter ostendit non esse bonam: nam, licet res immaterialis necessario sit incorruptibilis, non tamen conuertitur: atque ita, licet in re incorruptibili, ut sic non sit necessaria compositio ex materia: ad incorruptibilitatem tamen potest esse necessaria propter alias causas, non impediende incorruptibilitate. Quia, licet hæc ex se oriatur ex simplicitate rei, interdum tamen potest oriri ex indissolubili æxu formae & materiae, ut posterior opinio rectè dicebat. Neque enim rationabiliter dici potest, repugnare vnioni materiae & formae, quod sit indissolubilis: quæ est enim hæc repugnantia? Non enim omnis compositio postulat, ut dissolui possit etiam in naturalibus, ut patet in compositione ex accidente & subiecto. Si ergo datur forma accidentalis inseparabilis à subiecto, cur non poterit etiam dari forma substantialis inseparabilis à materia? Item compositio ex partibus integrantes potest esse naturaliter indiuisibilis, ut est in cœlo: ergo etiam alia compositio ex materia & forma poterit esse naturaliter indissolubilis: inefficax ergo est illatio, quæ sit ex incorruptibilitate ad carentiam materiae.

VIII. Posterior vero sententia ex quantitate mollis infert compositionem ex materia, quæ consecutio etiam videtur incerta, ob argumentum vltimum prioris sententiae. Propter quod non est mihi euidentis, implicare contradiccionem, fieri substantiam simplicem & completam quantitatis capacem: quod si hoc non implicat, eneruatur omnino illa consecutio, cum non sit formalis, neque absolute necessaria. Nihilominus tamen, quantum ex signis & effectibus nos iudicare possumus, verisimilis est, cœlum esse compositum ex materia & forma. Primò quidem, quia in illo sunt omnia accidentia, quæ materiam consequuntur, excepta corruptibilitate, ut sunt quantitas, quæ eiusdem rationis est in omnibus corporibus. Deinde est in cœlis rarum & densum, quæ per materiam definiuntur: est enim densum, quod sub parua quantitate multum habet materiae, ut constat ex 2. de generatione. Ad hæc in cœlis sunt quædam accidentia, quæ videntur ordinata tantum ad recipiendum, ut quantitas, secundum quam sunt physice mobiles, alia vero ad agendum, ut lumen, & si quæ sunt aliae facultates, per quas influunt: ergo, sicut hæc indicant formam, ita illa indicant materiam. Denique omnia corpora physice mobilia, sunt entia naturalia: ideo enim sub obiecto Philosophiæ comprehenduntur: vnde Aristot. 1. de Cœlo, c. 2. celestia corpora ponit inter naturalia entia, quæ naturalia constant: sed iuxta eiusdem doctrinam 2. Phys. c. 1. & 2. natura non est, nisi vel materia, vel forma, neque nos aliam physicam naturam cognoscimus: ergo omnia corpora etiam incorruptibilia huiusmodi natura constant. Quæ ratio saltem probat, esse hanc sententiam magis consentaneam doctrinæ Aristotelis. Quid vero ad priora testimonia respondendum sit, videbimus sequente secl. Atque hæc resolutio magis ex sequentibus responsionibus persuadebitur.

Cœlum ex materia & forma compositum.

Argumentorum solutiones.

IX. AD primam ergo rationem prioris opinionis respondetur, quod, licet prima cognitio materiae

teriaz primæ inuenta fuerit per viam motus & transformationis, tamen, semel cognita hac compositione ex materia in inferioribus corporibus, inde ratiocinatum est ad superiora, & ex alijs similitudinibus, & accidentibus talium corporum intellectum est, hanc compositionem communem esse omnibus corporibus. Vnde ad secundam respondetur, non oportere, vt compositio ex materia & forma sit propter alium finem extrinsecum, sed propter ipsam substantiam componendam, quæ ex e s constat: & quia natura talis substantia huiusmodi compositionem postulat, vt habeat omnia, quæ sibi conaturalia sunt, scilicet, materiam, vt possit subsistere, occupare locum, moveri, & similia: formam vero, vt sit in actu, & vt agere possit. Quocirca falsò videtur in eo argumento supponi, materiam in his rebus inferioribus solum esse propter generationes & corruptiones: est enim hæc vna ex proprietatibus huius materie, non tamen adæquata ratio materie vt sic.

X. Ad tertiam respondetur primò, probabile esse, quantitatem & materiam ex natura sua ita esse adæquate connexas, vt repugnet quantitati esse conaturalem alicui enti, quod materiam non habeat, hoc enim magis indicant ea, quæ de corporibus experimur, & nullum est prorsus fundamentum sufficiens ad fingendum aliud genus naturalium entium possibile. Neque hoc repugnat infinitati Diuine potentie, vt per se satis patet, quia potentia Diuina infinita, non immutat rerum naturas: & quamuis possit supra illas operari, non tamen facit, vt sit conaturalis, quod ordini nature congruum vel consentaneum non est. Vnde inferius ostendimus, è conuerso fieri non posse, vt sit substantia ex materia & forma composita, cui naturale non sit habere quantitatem: quid ergo mirum videri debet, vt conuerso etiam repugnet dari substantiam omnino completam, & quantam, quæ non sit composita ex materia & forma tanquam ex suis partibus? Conciipiendi ergo sunt duo ordines substantiarum à Deo creabilium, scilicet, compositarum ex materia & forma, & simplicium. Prioribus omnibus communis est hæc imperfectio, quod sunt capaces quantitatis, posteriores vero omnes substantiæ adeo perfectæ sunt (agimus de substantijs completis) vt e s quantitas repugnet, & ideo tales substantiæ dicuntur ab Aristotele, separatæ, & actus simplices ac intellectuales. Repugnat autem naturis rerum, vt hi duo ordines inter se confundantur, ideoque non potest vna & eadem res habere imperfectionem vnius ordinis coniunctam cum perfectione alterius.

XI. Adde deinde quamuis hoc admitteremus, scilicet, posse dari substantiam simplicem & integram, ac subiectam quantitati molis, non posse conuenienter attribui cælo talem substantiæ modum, quia esset valde imperfecta: quia non esset actus perfectissimus, vt per se constat, quia esset imperfectior substantijs intellectualibus, imò & multis substantijs compositis ex materia & forma, præsertim homine, & aliunde etiam careret actu substantiali, qui est maximè perfectus inter actus informantes. Sicut ergo substantia creata carens omni pulchritudine formæ accidentalis, esset valde imperfecta, ita substantia corporea, carens pulchritudine formæ substantialis, esset valde imperfecta, & quasi monstrosa. Et fortasse hinc sumitur non leue argumentum proportionale, nec parui (vt ita dicam) ponderis, sicut non potest dari substantia creata incapax accidentis, ita non posse dari substantiam corpoream incapacem substantialis formæ, seu non constitutam per actualitatem illius, si integra & completa sit: si vero sit simplex, & sub quantitate subsistens, non esse integram, sed potentialem partem indigentem actualitate formæ. Et confirmatur, nam talis substantia non posset esse secundum se totam actiua villo actionis genere:

non enim actione immanente, cum esset res inanimis, nec vero transeunte, quia hoc excedit limites naturalium agentium, qualia sunt corpora cælestia: & ita potius esset nullius actiuitatis, aut efficacie. Sicut ergo corpora cælestia non agunt, nisi inducendo formam in materiam, ita etiam non sunt, nisi per existentiam propriæ formæ in propria materia. Quocirca quamuis simplicitas, cæteris paribus, sit indicium & argumentum perfectionis, tamen illa simplicitas in substantia corporea non esset indicium perfectionis, sed potius imperfectionis: nec enim semper entia, quod simpliciora, eo perfectiora sunt.

SECTIO XI.

An materia incorruptibilium corporum sit eiusdem rationis cum elementari.



In hac re fuit sententia Auicennæ, eandem secundum speciem esse materiam omnium corporum, tam cælestium, quam terrestrium, & corruptibilium, quam incorruptibilium, quam opinionem multi ex Theologis secuti sunt, præsertim Aggicus locis citatis, & in eandem inclinat Scotus, & alij. Potest autem hæc sententia duobus modis defendi. Primò, asserendo cælum esse corpus corruptibile, & elementalis nature, & hoc modo eam docuit Plato, vt etiam D. Thomas infra citandus meminit: & Nemelius lib. de natura hominis, cap. 5. refert, Platonem posuisse cælum ex igne & terra. Secundò potest illa sententia defendi simul cum cæli incorruptibilitate, & utroque modo à nobis tractabitur, quamuis in præsentia nos potius supponamus incorruptibilitatem aliquorum superiorum corporum, & ea incorruptibilitate supposita, materialem causam eorum inquiramus. Fundari autem potest prædicta opinio partim in naturali ratione, partim Theologica.

Primario ratio Metaphysica est, quia impossibilis videtur distinctio specifica inter materias, quia teste Aristotele 7. Metaphysicæ, textu 49. actus est, qui distinguit, præsertim specificè & essentialiter: sed quilibet materia est pura potentia: ergo non potest in ea reperiri distinctio specifica. Et confirmatur, quia materia prima est infimum ens substantiale, quod esse potest, & ideo ab Augustino dicitur esse prope nihil: ergo intra latitudinem materie non potest dari specifica distinctio: aliàs, cum duæ res specie diuersæ necessariò sint inæqualis perfectionis, esset vna materia essentialiter perfectior alia, atque ita aliqua materia non esset infimum ens, nec summè distans à Deo, quod repugnat imperfectiori materie. Nam pura potentia extreme opponitur puro actui, videnturque esse quasi duo extrema totius latitudinis substantiarum, vnde, sicut in puro actu non potest esse specifica distinctio, ita nec videtur possibile in pura potentia.

Secunda prædictæ opinionis ratio sit, quia talis distinctio necessaria non est. Si quid enim cogeret ad illam introducendam, maximè incorruptio cælorum, sed hoc non. Primò quidem, quia licet cæli nunquam actu corrumpantur, non inde fit ab intrinseco esse incorruptibiles, fieri enim potest, vt licet ex vi suæ compositionis substantialis cælum corruptibile sit, de facto tamen nunquam corrumpatur, quia in suo loco naturali existens, & distans ab omnibus agentibus contrarijs, est ita dispositum vt omnibus resistere possit. Vel secundò, quia licet cælum constet ex hac materia, potest esse naturaliter incorruptibile ab intrinseco. Quia sola materia prima non est sufficiens principium incorruptibilitatis, nisi etiam forma talis sit, vt vno eius sit separabilis à materia, quod duplici ex capite provenire solet: